



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens primos 25. Psalmos

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, [1761]

VD18 15558428-001

Psalmus XVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53377)



cum pertingere tam altè non possint; & liberari ab omni homine iniquo.

v. 52. Propterea confitebor tibi in nationibus Domine, & nomini tuo psalmum dicam.

Ideo laudabo Te & clam, & palam, ut omnes discant fidere in Deo.

v. 53. Magnificans salutes Regis ejus, & faciens misericordiam Christo suo David, & semini ejus usque in seculum.

Conclusio: Dominus augeat, & multiplicet salutem corporis, & animæ, & omnium rerum Regis ejus, sui, quem ipse Deus sibi elegit: faciat perpetuam misericordiam Davidi, quem ungi jussit in Regem, & omnibus successoribus ejus in æternum. Quæ precatio impleta est in Christo JESU Domino nostro.

PSALMUS XVIII.

Titulus: *in finem Psalmus David.*

Argumentum est laudatio Divinæ legis: hanc comparat cum celesti corpore, quo
nihil

nihil videtur esse in rebus corporalibus pulchrius, utilius, potentius. S. Aug. Psalmum exponit de Christo, & Apostolis.

v. 1. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmitamentum.

Comparat legem cum Cælo: hoc suâ magnitudine, & pulchritudine maxime manifestat gloriam Conditoris. Firmitamentum, sive Cælum hominibus declarat primaria Dei opera, Solem, Lunam &c.

v. 2. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.

Ostendit, triplici modo Cælos Dei gloriam prædicare: de die videtur pulchritudo Solis, de nocte stellarum: ob continuam successionem, fingit poëticè, diem diei, & noctem nocti sequenti quasi tradere munus prædicandi gloriam Dei. Nox igitur, ac dies semper quasi choreas ducunt, & Deum laudant.

v. 3. Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum rem audiantur voces eorum.



Secundò Cælum prædicat Deum omnibus linguis: cùm enim omnes nationes ex pulchritudine, & præstantiâ Cæli agnoscere possint easdem Dei perfectiones, poëticè dicit, voces eorum, Cælorum ab omnibus intelligi, quasi Cæli omnium nationum linguis loquerentur.

Ps. 4. In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Tertiò Cælum Dei gloriam enarrat ubique. *Sonus eorum, Cælorum*: sonus hic est illa gloriæ prædicatio, quæ oritur ex pulchritudine Cæli consideratâ ab hominibus in toto Mundo.

Per Cælos allegoricè intellige S. S. Apostolos, vel alios Sanctos prædicatores, quòd elevati à terrâ per contemplationem; ampli per charitatem; splendidi per sapientiam; semper fereni per animi tranquillitatem; celerrimè moti ab intelligentiâ per obedientiam: pluunt per instructionem; tonant per objurgationes; fulgurant per miracula; multa bona terris largiuntur, & nihil ab eis quærunt, per veram liberalitatem; purissimi ab omni
ni



ni Sorde per vitæ Sanctitatem; denique sunt habitaculum summi Regis per iustitiam perfectam: nam anima iusti sedes est Sapientiæ.

✧. 5. *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.*

Sol pars Cæli est, quæ præcipuè enarret Gloriam Dei. In Sole Deus posuit *tabernaculum*, non *domum*: nam tempore peregrinationis nostræ Deum videmus per speculum creaturarum, quas inter Sol principatum obtinet: *Domus* Dei est sua ipsius æternitas. *Et ipse tanquam sponsus* &c.: Solem Dei tabernaculum esse probat tribus rationibus; primò à pulchritudine: Sol exoritur decorus, nitidus, ornatus, tanquam si sponsus aliquis esset, qui de thalamo nuptiali procederet.

✧. 6. *Exultavit ut gigas ad currendam viam suam, à summo Cælo egressio ejus.*



Y. 7. Et occurfus ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat à calore ejus.

Secunda ratio à robore, & viribus: Sol immensum Cæli spatium, velocissimo cursu, sine ullâ fatigatione, vel labore peragit, & quasi cum quâdam alacritate. *A summo Cælo &c.* ab oriente exoritur, & toto Cæli ambitu decurso, eò revertitur. *Nec est &c.* tertia ratio ducta ab utilitate: Sol &c., velut communis parens, omnia in terrâ, & mari vivifico suo calore fovet, ideo tam assidue, & sollicitè circuit Mundum, ut omnia participant insignia ejus beneficia.

X. 8. Lex Domini immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

Jam comparationem applicat, quasi dicat: pulchrum, lucidum, utile est Cæum; Sol pulcherrimus, lucidissimus, utilissimus; sed lex Domini multo pulchrior, lucidior, utilior. Ponit dein sex encomia legis Divinæ.

Primum:



Primum: *immaculata* &c. lex sine maculâ est, cum nullum peccatum permittat, ut permittunt leges humanae; & ubi bene perspecta est, convertit animas ad se amandam, & tam pulchrae legis authorem.

Secundum: lex (dicitur testimonium, quia docet, quid a nobis requirat Deus) fidelis est, sive certissime bonos præmiis, malos poenis afficiet. *Sapientiam* &c. parvulos, amatores Mundi, non pollentes iudicio spiritali, erudiens, ut sciant bona agere, mala fugere.

9. 9. Iustitia Domini recte, lætificantes corda, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Tertium encomium: lex Domini (hæc dicitur iustitia, quia in se iusta est, & facit hominem iustum) si observetur, lætificat corda, quia nihil iucundius bonâ conscientia; imò ad servanda Dei mandata animat.

Quartum: lex Domini lucida luce Divinae sapientia, per modum dispositionis



tionis illuminat oculos mentis, quia facit intelligere voluntatem Dei, & quæ sint verè bona, & verè mala.

¶ 10. *Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi, judicia Domini vera, justificata in semetip-
sa.*

Quintum: Timor castus, filialis (alio nomine pietas) legem observare faciens, producit bona, non caduca, sed æterna.

Ultimum encomium: Mandata Dei sunt vera, in semetip-
sa justificata; h. e. non egent, ut ab alio demonstrentur esse justa; satis est esse mandata Dei. Eadem dicuntur *judicia*, quia sunt norma bene vivendi, ac per ea Deus homines judicat.

¶ 11. *Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel, & favum.*

Conclusio: cùm tam bona sint præcepta Domini, certè præponenda sunt omnibus divitiis, & deliciis hujus Mundi.



di. *Dulciora non solum super mel quod-
cunque, sed etiam super favum plenum
melle purissimo.*

✧. 12. *Etenim servus tuus custodit ea,
in custodiendis illis retributio multa.*

Nam servus tuus experimento pro-
bavit, se multa bona possidere, dum præ-
cepta custodit.

✧. 13. *Delicta quis intelligit? ab occul-
tis meis munda me, & ab alienis
parce servo tuo.*

Dixerat, se custodire mandata Dei;
corrigit se, atque excipit peccata ex igno-
rantia, quæ vix caveri possunt ob fragi-
litate.

Ab alienis &c. ab iis, qui alienis mo-
ribus sunt, parce, seu parcendo remo-
ve illos ab amicitia servi tui.

✧. 14. *Si mei non fuerint dominati,
tunc immaculatus ero, & emunda-
bor à delicto maximo.*

Ratio, cur ita timeat impiorum a-
micitiâ: nam si illi per nimiam familia-
rita-



ritatem me ad suam voluntatem non re-
degerint, tunc purus ero à delicto *maxi-
mo*, mortali.

*v. 15. Et erunt, ut complacent eloquia
oris mei, & meditatio cordis mei, in
conspectu tuo semper.*

Non solùm tunc immaculatus ero,
sed etiam fiet, ut hymni, quos in laudem
tuam corde, & ore decanto, Tibi sem-
per placeant, quia de mundo corde, &
ore simplici prodibunt.

*v. 16. Domine adjutor meus, & re-
demptor meus.*

Placebunt, inquam, Tibi cantica mea,
ex gratiâ tuâ, non ex meis meritis: to-
tum dono tuo habeo, qui es adjutor
in bonis, & redemptor à malis.

PSALMUS XIX.

Titulus, & Argumentum: *In finem*
Psalms David.

Pfal-